



17
44
45
46
47
48
49
50
51
52



1770.

44. Hommelius, Conradus Ferdinandus: Rhapsodiae
supplementa.
45. Hommelius, Conradus Ferdinandus: Rhapsodiae
supplementa.
46. Lorenz, Christophorus Mauricus: De obligatione
legis in praeteritum.
47. Platnerus, Fridericus: Pro amplitudine in
his decernendis jurem arbitris.
48. Rös, Christianus: Historia juris civitas in peculis
49. Schrader, Antonius Gualterus: De rescripto Diocletiani
et Maximiani in lege 24 Cod. faen. 1. 2. 3. 4.
50. Schott, Augustus Fridericus: De jure primariorum
precuratorum ordinum tempore competente
51. Sigerus, Joh. Theophilus: De crimine stellionatus
52. Sigerus, Joh. Theophilus: De origine et natura
communis sexuum manus.

1770

53. Thomarius, Franzott, fac. jur. procancelarius: De jure
mutatae monetae hodiernae. Programma, quo solenni
Doctoralia Thomae Augusti Neumannii indicit. 57
54. Thomarius, Franzott, fac. jur. procancelarius:
De usu pecuniae praeteritae. Programma, quo solenni
Doctoralia Christiani Ravi indicit. 58
55. Wenzel, Fridericus Augustus Wetz: Historia Alberti II,
Romanorum, Hungariae et Boheminae regis
Austriacae ducis, Marchionis Moraviae. 59
56. Winkler, Carolus Godspers, fac. jur. procancelarius:
Constitutio juris Criminalis. Programma, quo solenni
Doctoralia Augusti Waldfregis. Deutschländeri indicit. 60
57. Winkler, Carolus Godspers, fac. jur. procancelarius:
De donatione, et adversus ejus acceptationem,
observationes grammaticae. Programma, quo solenni
Doctoralia Fridericus Augustus Wetzlii indicit. 61

1770.

58. Zallerus, Frid. Gullieb: Quatenus bona uxoris
probrato adulterio, marito innocenti, cedant?
59. Zallerus, Frid. Gullieb: Utrum pacta Solutica
intra altera parte revocari possint?
60. Zallerus, Frid. Gullieb: Utrum is, qui ab altero
injuria affectus homicidium committit, poenam
ordinariam pati, teneatur.
61. Zallerus, Frid. Gullieb: De remissione delinquentis.
Item
62. Zallerus, Frid. Gullieb: De jure patronorum
ecclesiarum individuis.
63. Zallerus, Frid. Gullieb: Utrum delinquentis, qui
post torturam perperam delictum, quod antea
negaverat, sponte confitetur, poena affici queat?
64. Zallerus, Frid. Gullieb: Utrum filia cum matre
in hereditate patris concurrens, dotem a
patre acceptam, conferre teneatur?

1770

65. Zollerus, Frd. Gualter: Utrum iudea appel-
lanti indulgere et apostolos gratis dare possit.



S. 28. num. 15.

1770/77.

PRO AMPLIANDO
IN DIVORTIIS DECERNENDIS
IVDICVM ARBITRIO

4

EXERCITATIONEM PRIMAM

PRAESIDE

FRIDERICO PLATNERO

S. 111.

ECCLESIAE CATHEDR. NVMBVURGENSIS CAPITVLARE
PANDECTAR. PROF. ORDIN


A. D. III AVGVSTI A. C. 1770

COLLOQVIO PVBLICO DEFENDET

IOH. CAROLVS GOTTHOLD KAVPISCH
COLDITIENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LOEPERIA



IN DIVISIONE DECEMBERIS

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

FRUCTUATIONEM

Handwritten scribble or signature





Si quid, hoc seculo, humano generi laetum contigit, hoc profecto est, quod humanitatis vocem ciuitatum gubernacula tenentes principes exaudiuisse et pectora eorum, considerata poenarum immanium atrocitate, et in detegendis delictorum auctoribus, violentae per tormenta quaestionis perfidia, miserationis sensu caleferi, eosque adeo ipsos ad capienda, super istis malis extirpandis, consilia, communi et diuino quasi impetu ferri; e multis haud fallacibus signis cognouimus. Cui rei in vulgus etiam notae, vt fidem faciamus, ad externos populos diuertere non cogimur. Admiramur quidem, vt decet, Catharinae II. Principis vere magnae in legibus nouis salubriter excogitandis sapientiam, et in poenarum modo statuendo aequabilitatem. Ab equulei terroribus, Regis in vicinia item magni beneficio, innocentium corpora liberata esse, non minus gaudemus; sed multo magis laetamur, Dominum nostrum, quem vnice omnes amamus, et Deus diutissime seruet! *Fridericum Augustum*, Ordine Saxoniae, de abroganda dira per tormenta quaestione, fidem fecisse; eoque modo amorem ciuium suorum non minorem quam iustitiae, animum etiam miserationis sensu plenissimum patefecisse.

At, quo propensior est princeps ad mala ciuibus suis molesta expellenda, eo magis curandum est, vt ei singula innotescant, ne clandestina quasi contagione corpus ciuitatis male affectum ab improuiso et inueterato morbo citius, quam medelae locus sit, corripiatur.

Inter praesidia tutissima, quibus firmari publica salus, augeri etiam possit, matrimoniorum fides, frequentia et fecunditas merito relata sunt. Quod ipse Romulus agnouisse videtur, legibus de nuptiarum ritu et patria potestate inter ipsius Romae initia scriptis, quod prudenter putaret, ordinatis matrimoniis, iisque, vtilitatis honestatisque spe proposita, commendatis, libidinum stimulos infringi; ciues vero, orta inter eos coniugum, liberorum, parentum, consanguineorum, et affinium necessitudine, arctius ipsi quoque patriae adstringi. Experientia etiam testatur, populos quo facilius contraherent matrimonia, quo sanctius coniugalem fidem serua- rent, eo magis, eo citius quoque numero et opibus creuisse.

Ista vero omnia, quae de matrimoniis vtilitate commemorauimus, non tamen me impediunt, quo minus eadem, si male lecta sint, ad acerbissima et reipublicae perniciosissima, quamuis clandestina, mala referam. Quantum enim in matrimonio felici facultatis est ad emolliendos homines, tantum ad corruptendos eosdem in minus fecundo. Id vero malum sua natura magnum et vix tolerandum, duratione longe fit acerbius et intolerabilius. Quod enim in ceteris societatibus, aut infeliciter aut imprudenter initis, solatii relinquuntur, vt vel ad tempus contractae eo elapso finiantur; vel mutuo sociorum male iunctorum dissensu soluantur, id in matrimoniis nequidem a multis admittitur; causis, ob quas coniugale vinculum relaxandum sit, propter leges diuinas, vt aiunt, ad exiguum numerum restrictis.

At, considerata incommodorum, quae e male ordinatis et infastis nuptiis publice priuatimque prouenit innumerabili turba; considerata misera conditione eorum, qui istis incommodis

modis matrimonii infelicitate obnoxii sunt; considerato denique insigni detrimento, quod coniugiorum inter singulos ciues male institutorum discordiae rei afferunt publicae; operae pretium sane videbitur morbo huic late grassanti medelam quaesivisse, quae profecto et facilius inueniri et adhiberi fructu posset maiore, nisi tristitiam fortis male iunctorum coniugum peruiderent, et ad publicam quoque perniciem propagari intelligerent paucissimi, medelae autem facultatem, hominibus et principibus adeo ipsis a Deo negari, sibi persuasissent permulti.

Quae vero in dissoluendis matrimoniis relicta sit hominibus potestas, nostrum erit, eo curatius inquirere, quo facilius in ea, vel nimium amplianda, vel restringenda, peccari deprehendimus.

Etenim in vulgus notum est, aliter super matrimonii indole et natura sentire Theologos et Iureconsultos puriori doctrinae per Lutherum instauratae addictos; aliter Pontificum decreta tenentes, quorum hi matrimonium ad sacramenta referunt; (*v. Fr. Florentem ad Gratiani causas XXVII. XXVIII. et XXVIII. Tractatum de sponsalibus et matrimonio; in Opp. ei. p. m. 106 - 113.*) Illi, ut *Deylingius in Prudentia pastoralis* (p. 580. edit. nouissima, quam Coniunctissimus Collega, *Christianus Vilelmus Küstnerus*, Vir Illustris et vere doctus, animaduersionibus vtilissimis auctam, curauit,) matrimonium dicunt; *legitimam vnius maris et vnius mulieris coniunctionem a Deo institutam, indiuiduam totius vitae humanae consuetudinem continentem.* Sed inter nostrates quamuis non dubitem, plerisque Deylingii definitionem, quae multorum fere Theologorum est, probari posse; si tamen de potestate dissoluedi matrimonii quaesieris, non vnam esse omnium sententiam intelliges. Quo quis enim plus minusue diuini in matrimonio contrahendo intercedere putet, eo etiam ad idem dissoluendum, magis minusue pronus est.

Iustus quidem Henningius Boehmerus diu duraturae celebratis Iureconsultus in dissertatione *de iure principis euangelici circa diortia*, quam Halae anno seculi praesentis decimo quinto edidit, et assumpto ad respondendum *Kaysero*, qui hanc controuersiam suo nomine prosecutus est, defendit; matrimonium ad contractus mere ciuiles, qui etiam partium dissensu solui possint, referre non dubitauit: Acriter propterea accusatus a Theologis nonnullis, etiam Iureconsultis. Alii pressius, ut uolunt uideri, uerba legum diuinarum sequentes, ob duas tantum causas, *adulterii* et *malitiosae desertionis*, diuortium iure fieri perhibent. Sunt denique nonnulli, quibus me adiungam, media ac tutissima uia incidentes, et iustis limitibus diuortiorum potestatem describentes, qui temere non soluant, quae ob reuerentiam instituti diuini soluere non decebat; nec vinculorum minus necessariorum onere opprimant disiungendos.

Boehmerus quidem, et qui cum eo sentiunt, negant in matrimonio aliquid praeter contractum mere ciuilem inesse, et ad ipsius Lutheri auctoritatem prouocant, causas matrimoniales ad mere ciuiles et ciuilis magistratus potestate regundas, referentis. (v. diss. Boehmeri alleg. Cap. II. §. 11. p. 33. sequ.) Lutherum quoque perhibent, consilium habuisse matrimonialium causarum cognitionem, male a Clericis Romanae ecclesiae usurpatam, uelut postliminio restituendi magistratibus ciuilibus. Id uero quo minus fieri posset iuris pontificii reuerentia, siue potius mala tenacitate, impediuisse legum doctores. Vnde factum sit, ut ius canonicum, quantum a Luthero abrogatum, praesertim in causis matrimonialibus eam potestatem in foris protestantium retinuerit, quam, ipsis ecclesiae nostrae placitis repugnantibus, adhuc tenere, manifestum sit.

Qui praeter adulterium et malitiosam desertionem nullas diuortii causas admittunt, satis tutum quidem sed nimis durum consilium cepisse uidentur. Quod enim uerbis diuinis plane

plane adhaerentes nihil humanae potestati relinquunt, in eo magis ab omni temeritate alieni, quam subtilitatis et boni publici studiosi nobis videntur. Vnde fit, ut quamuis non negemus adulterium et malitiosam desertionem causas esse diuortii decernendi grauisimas et libris diuinis traditas, alias tamen item graues et conuenientes cum istis duabus, siue *analogas*, admitti non solum posse, sed, legibus eam in rem scribendis et data iudicibus ampliore libertate, quae tamen ad licentiam extolli non debet, adeo debere, contendimus.

Ante vero quam ad causas enumerandas, eandem cum traditis per libros diuinos vim ad diuortium decernendum habentes, progrediamur, nonnulla tironum causa, qui forte hanc exercitationem ad scholae morem colloquio publico destinatum, legere velint, de matrimonii iusti et iniusti discrimine disputabimus.

Matrimonia alia *iusta* alia *iniusta* sunt; illa quidem e legitima auctoritate inter eos, qui incundi potestatem per leges habebant, contracta et adeo firma, ob grauem demum causam solent *diuortio decreto solui*, haec quod nunquam firma, imo legibus essent, vel diuinis vel humanis, contraria, aut institutioni et consilio matrimonii non conuenirent *nulla declarantur*. In *nuptiis* itaque *iustis*, *diuortium* proprie, in *iniustis*, *annulatio*, sit verbo *venia*, in *sponsalibus* dissoluedis *repudium* locum habet.

Sed super iustis nuptiis alia ardua quaestio, quae hoc loco attingenda est, suboritur; a quo tempore sponsalia legitima matrimonii firmamentum accepisse; sponsus autem maritus, sponsa vxor fieri dicatur? Forte nonnulli hanc quaestionem inanem putabunt, sed est ea alicuius momenti; nam propterea, quod facilius sponsalia, quam nuptiae soluuntur, multum interest, utrum coniuges a connubiali vinculo dimittas, an sponso et sponsae repudii potestatem facias.

Dum

Dum vero opinionum super ea quaestione decidenda ambiguitatem considero, alte ex animi sententia indoleo, iurisfcientiam etiam non esse ab omni parte a superstitione liberam. Et est ea profecto isti malo, eodem modo, ut multae aliae res humanae, obnoxia. Nam cultui superstioso, quo iuris pontificii farraginem multi nostrorum iureconsultorum etiam post Lutherum persecuti sunt, tribuendum est vnice, apud iureconsultos ligneos lapides inueniri; Quis non aegre ferat? in eadem prouincia sponsum eandem feminam habere et sponsam et legitimam vxorem. Et ita est, et comiter adeo iureconsulti hoc biceps monstrum reuerentur. Titius Tulliam in matrimonium recipere cupiens, sponsalibus celebratis, benedictione a sacerdote accepta, nondum consensu thoro geniali, ipso nuptiali die moritur: Iure Saxon. per Const. XVIII. P. III. non putatur maritus decessisse, sed sponfus, eaque de causa ius succedendi e statuto et pactis dotalibus negatur mulieri, ceterorum tamen iurium omnium, quaecunque legitimae vxori contingere possint, participari.

Quoniam vero semel constitui pro iudicum arbitrio in causis matrimonialibus dicere, liceat mihi in hoc loco aliquantisper subsistere.

Sponsalia legitima, si probabilis qualiscunque demum causa adfit, vel partes consentiant, hierologia autem nondum accesserit, per repudium iudicum auctoritate facillime solui, quotidiana experientia testatur, et communis Consistoriorum vsus ostendit. Atque eo etiam progredimur, ut, si sponfus sponsam post legitima sponsalia vitiauerit, vtriusque partis voluntate repudium permittamus, si modo hierologiae solemnia deficiant. Sed haeremus et titubamus, quoties statuendum est, an sponsalia, benedictione quidem sacerdotali, nulla tamen corporum coniunctione confirmata, iure dirimere liceat.

Ista

Ita vero dubitatio nos minus ambiguos teneret, si expeditum esset, quomodo matrimonium perficeretur. Iure Ciuili, quo ad *Consensuales Contractus* Sponsalia referuntur, et iure Canonico, quo Hierologia solemn*is sacramentum* conferri creditur, solus consensus, vel stipulationis formula, vel sacramento collato, confirmatus, nuptias facere dicitur. Sed num hoc doctrinae nostrae ecclesiae in matrimonio sacramentum conferri negantis? num hoc iuri vere nostro, id est Saxonico, conuenire? dicamus.

Hierologiam matrimonii non lege quidem diuina, sed hominum prouidentia, adiunctam esse, scimus; nec inter nostrates dubitatur, nuptias in iis prouinciis, quibus lege publica confirmata non est Hierologia, ea etiam omi*ssa*, legitimas uideri et haberi, vt olim apud Batauos. Sed reipublicae intere*ss*e quoque scimus, nuptias publico quodam ritu celebrari, vt magistratus, et successionis ab intestato ordinem tueri, et meretricias societates deturbare, et libidinosos homines coercere, possint facilius. Praeterea ipse Lutherus alienissimus est, ab ea nonnullorum opinione, qui Hierologiam omnino necessariam dicant, et negligi nunquam uelint. En eius uerba! in praefatione *Agentis ecclesiast.* in primis Capit*uli*, de *Benedictione eorum*, qui nuptias uelint contrahere; praemissa: „So manches Land, so manche Sitten, sagt das gemeine Sprüchwort. Demnach weil die Hochzeit und Ehestand ein weltlich Geschäft ist, gebietet uns Geistlichen oder Kirchendienern nichts darinnen zu ordnen oder regieren: sondern lassen einer jeglichen Stadt und Land hierinnen ihren Brauch und Gewohnheit, wie sie geben: Einige führen die Braut zweymal zur Kirche, beyde des Abends und des Morgens; etliche nur einmahl: etliche verkündigen und bieten sie auf der Kanzel auf zwei oder drey Wochen zuvor. Solches alles und dergleichen laß ich Herrn und Rath schaffen und machen wie sie wollen: es gehet mich nichts an.“ (Vide *Corpus Iur. Ecclesiastici saxonicum* p. 124.) Sed praefertim Lutherus be-

B ne

nedictionis formulas commendauit et seruauit propterea, quod
 matrimonii initia, vt omnium rerum grauiorum, vellet, Deo
 etiam publice inuocato, fieri. Quare, quantum scio, nemo
 inter Augustanae professionis Theologos fuit, qui matrimo-
 nium Hierologiademum perfici, et, ea non accedente, illegiti-
 mum crederet. Haec enim est ecclesiae Romanae, propter
 sacramenti figmentum, necessaria magis, quam probabilis do-
 ctрина, per quam matrimonii ipsius et sponsaliorum de praesenti,
 quae dicunt, similitudo orta est. Nam si matrimonium
 ad sacramenta referendum, non prius, quam eo collato,
 et statim in eius collatione, perfici necesse est. Sed manife-
 stum quoque est, discrimen, inter sponsalia et nuptias, tolli, et
 inter vtrumque, secundum canones, nullum intercedere. Qua-
 re, cum nostra ecclesia non necessariam quidem, sed vilem et
 legibus humanis sapienter commendatam benedictionem, ser-
 uari boni ordinis causa velit, matrimonium alio modo perfici,
 dubitandum non est. Atque consuetudines maiorum no-
 strorum sapientissime corporum aut veram coniunctionem,
 aut eiusdem coniunctionis probabile signum, ad matrimonii
 perfectionem requirunt. Nam praesumptiones iuris sunt e signis
 ita manifestis ductae, vt aliter, quam lex factum fuisse sumat,
 rarissime fieri soleat. V. c. si solum cum sola, nudum cum nu-
 da, iuuenili aetate, in eodem lecto offenderis, non facile, super
 eo, quod fecerint, sit suspicio fallax. Atque consuetudines
 Saxonum thori genialis conscensionem ad matrimonii perfe-
 ctionem exigebant propterea, quod non dubitarent, neogamum,
 data sibi legitima potestate, vsurum esse. Ergo, ne ambages quaere-
 re videamur, patet, in Saxonia ad probandam matrimonii perfe-
 ctionem, non in omnibus causis sufficere Hierologiam pro-
 baste. Atque ego optime nobiscum agi putarem, si eadem ra-
 tione, qua lites super *successione statutaria* et e *pañis dotalibus*
 deciduntur, etiam causas matrimoniales e moribus Saxoniae
 definire liceret. Sic discrimen inter sponsalia et matrimo-
 nium pateret; sic discerni posset, vbi repudium, et vbi diuor-
 tium

tium fiat; sic istius fabulae, de matrimonii sacramento, vestigia, pristinae seruitutis et inuictae superstitionis signa clarissima, ex animis hominum funditus deleri, et Theologorum institutio cum vsu fori in concordiam redigi, posset.

Equidem tres classes nuptiarum constituere non dubito, I *mere naturalium*, II *mere ciuilium*; III *perfectarum*. In nuptiis mere naturalibus, post sponsalia legitima accessit concubitus: In nuptiis mere ciuilibus, sponsalia legitima inter hierologiae solemnia repetita sunt quidem, sed corporum coniunctio nondum accessit. Perfectas nuptias dicimus, quibus coniugum fides, et naturalibus, et ciuilibus, vinculis adstricta est; inchoatas eas legitimis sponsalibus; confirmatas benedictionis sacerdotalis formula; consummatas denique corporum vera communione. *Mere naturale* matrimonium est, si institutionem spectes, verum, sed destitutum non paucis commodis ciuilibus, ob neglectum legis ciuilis ordinem; propter quam negligentiam, legum etiam poenis obnoxii recte sunt, qui contra earum praecepta coierunt in ciuitate. *Mere ciuile* sponso et sponsae tribuit potestatem legitimam corporum communicandorum; ante vero, quam corporum coniunctio accessit, nondum est verum matrimonium dicendum, sed intra sponsaliorum fines subsistit, quamuis sponso et promissio perficiendi matrimonii adfit repetita,

Ex his quidem, quae haecenus super matrimoniorum triplici forma disputaui, apparere puto; mere naturale et perfectum matrimonium, quoniam utrumque sit verum, non esse, nisi ob fonticas causas soluendum: mere ciuile eadem facilitate, vt caetera sponsalia, partium mutuo dissensu, tolli posse. Sed, vt matrimonium verum dici possit, corporum etiam communionem ad seminis immisionem procedere debere, multi, vt mihi videntur, non temere vrgent. Recordor enim trium re-
scriptorum ad Consistorium Lipsiense misorum, quibus ista

B 2

opinio

opinio multum roboris accepisse videtur. Narrabo causam breuiter, quae a nostra quaestione non est plane aliena.

Anno cIo Io cccLIII homo quidam plebeius, mortua vxore, huius e fratre filiam, accepta a Domino nostro venia, in matrimonium ritu solemni ducit. Sed parum prospera statim noui coniugii initia fuerant; nam paucos dies post nuptiale conuiuium vxor in patriam domum redierat. Decennio ita transacto, anno cIo Io cccLXIII Superattendens Plauiensis cognitis discordiis istorum coniugum rem omnem ad Consistorium Lipsiense defert. Hoc, frustra tentata pace, causam Senatui supremo Ecclesiastico referre constituit, quoniam ob conscientiae morsus vtraque pars inprimis foemina, vellet connubiale vinculum, corporum, vt dicebant, nulla coniunctione facta, penitus dissolui.

Rescripti clementissimi formula haec erat d. d. Dresdae d. 20. Iul. 1764.

Nachdem wir nun, wenn obgedachte beyde Eheleute ihr Anführen, das sie einander die eheliche Pflicht niemahlen geleistet eydlich erhärten; geschehen lassen können, das solchen Falls zwischen Ihnen die Ehe wieder dissoluiet werde. Als begehren wir gnädigst, ihr wollet euch darnach achten, und dem gemäfs das nöthige verfügen.

In die, quo iurandum erat, coniux litteris oblati, etiam maritus, iurare recusant in verba (*Dafs sie einander die eheliche Pflicht noch nicht geleistet hätten*). Mulier fatebatur, se quidem compressam a viro, sed concubitus non fuisse perfectum. Ceterum dissolutionem matrimonii, et quodam modo legibus contrarii, et infelicissimi, vehementer flagitabat. Rem denuo ad Senatum ecclesiasticum retulimus, a quo hoc nobis responsum est d. d. Dresdae cIo Io cccLXVI. d. XXI. April.

Begehren hierdurch gnädigst, ihr wollet da die Mül. wegen der nahen Anverwandschafft mit Maenl. in dieser Ehe fernerhin zu leben sich einen Gewissensscrupel machet, zuförderst von ihr vernemen, ob sie, dass bey dem zugestandenen Beyschlaffe immisio seminis nicht erfolget sey: zu schwören sich getraue? und sodann davon euren fernern unterthänigsten Bericht erstatten.

In ea verba iurare paratam esse mulierem paullo post cognouimus, et Perillustri Senatui ecclesiastico Dresdensi indicauimus. Quo facto, nouo rescripto d. d. Dresdae d. 1 Septembris clo cc lxxvi. imperatum est.

Nach angehörten Vortrag eures wegen der von A. R. M. ihres Gewissensscrupels halber wehmüthig gebetenen Wiederaufhebung ihrer mit I. G. M. vollzogenen Ehe anderweit erstatteten unterthänigsten Berichts. Begehren wir — gnädigst, ihr wollet, wenn die Mül. dass der ihn angetraute I. G. M. bey dem eingeräumten Beyschlaffe seinen Samen nicht in ihren Leib lausen lassen, eyalich erhält, sodann diese Ehe wiederum aufheben, auch beyden Theilen, sich anderweit christlich zu verewelichen, gestatten. Möchten wir euch nicht bergen —

In formulam iurisiurandi, quam rescriptum Serenissimi Administratoris praeibat, a muliere iuratum et sic causa omnis, ex eiusdem voluntate decreta est. An vero, diuortij, an repudij datam esse facultatem? putemus. Putarem in ea causa repudium decretum fuisse; Satis enim perspicuum est, nisi omnia me fallunt; horum rescriptorum consilium imprimis fuisse hoc, vt partium ipsarum confessione patefieret, vtrum de sponsalibus benedictionis solemnibus confirmatis, an de matrimonio perfecto et vere consummato, iudicandum esset.

Qua de caussa, etsi mulier nollet e formula superioris rescripti: *dass sie einander die eheliche Pflicht noch nicht geleistet*; iurare, quod fateretur corporum nonnullam coniunctionem intercessisse, sed imperfectam; nihilominus tamen diuertendi potestatem eidem dare summus senatus ecclesiasticus constituerat, si modo posset iurisiurandi religione confirmare, sibi nondum fuisse semen mariti communicatum; quo demum facto, vere consummatum et perfectum matrimonium dicendum sit.

E quibus omnibus satis opinor apparere, repudio locum esse posse, etsi Hierologia accesserit; quamvis non negem; leuitatem eorum, qui repudio se demum post benedictionem sacerdotalem disiungi cupiant, quod *carnalis* quam vocant *coniunctio* non accesserit, acrius esse carcere vel multa coerendam, quam aliorum inconstantiam, qui sponsalia non repetita iudicis beneficio rumpi velint.

Ergo hoc sumimus, etiam post benedictionem repudia iure fieri, si intra sponsaliorum fines substituerunt sponsus et sponsa, nondum communicatis corporibus; At, si e nobis quaesieris, quas cautiones in eiusmodi repudio post Hierologiam concedendo, adhibendas putemus, in promptu est responso; equidem istorum rescriptorum, quae ante commemoravi, rationem, in similibus causis seruarem, et sponsalia, Hierologia quidem, sed concubitu nondum, confirmata, si vtraque pars velit, dissoluendi potestatem lege publica iudicibus vellem concedi, sed ita, vt ea non possent aliter vti, quam si iurisiurandi religione a muliere confirmaretur, perfecto per feminis immisionem concubitu, matrimonium fuisse nunquam consummatum. Enimuero dices, sic fraudi, sic collusioni opitulari egregie videris:

Non

Non negem, si peierauerit mulier falli posse iudicem, nam quid quaeso ab omni fraude liberum est? sed si reuerentia vltoris Dei homines continere non potest, quam hominis potestatem malis prauisque hominibus coërcendis et continendis parem esse futuram, existimes?

Adulterium, causam diuortii esse grauisimam, et a deo ipso memoratam, constat inter omnes, sed non minus constat, ob adulterium diuortium contigisse non paucis velut ex pacto id petentibus, et fabula, qua iudices fallere decreuerant, ante composita. Sic recordor, vxorem arguisse maritum adulterii ante sex annos commissi; sapienter scilicet, vt poenae ciuili eximeret, quae quinquennio elapso tollitur praescriptione. Negabat, se vel verbis vel factis delictum adultero condonasse et condonaturam esse vnquam; maritus pudore, vt volebat videri, suffusus, fatebatur, se impregnata ancilla, et suscepto ex ea infante, fidem coniugalem fregisse. Praeterea indici baptifimali inscriptum esse nomen suum vt patris. Abstinebat modeste ab omni excusationis causa, quam forte e moribus vxoris non plane inexorabilis, vt rumor ferebat, imprimis ex arcta nimis familiaritate cum venatore quodam excitatus, per exceptionem compensationis delictorum, vt vocant, obtinere potuisset. Quid plura, delictum fatebatur, vxori vt veniam eius daret non poteramus persuadere, vrgebat illa potius diuortii, et post illud, noui matrimonii potestatem. Num potuissemus negare? aderant profecto omnia, quae in simili causa ad diuortium requiras. Relicta itaque nubendi facultate innocenti vxori, matrimonium inter eam et adulterum maritum dissolutum est.

Multi quidem post hoc diuortium musitabant, ex pacto contigisse; fabulamque, descriptis inter actores partibus; coram iudice actam esse. Sed num e suspicionibus vulgi, saepe iniquis et plerumque falsis licet iudici sententiam ferre?

ferre? Quare fidem habuimus feminae, maritum adulterii, quod ille fatebatur arguenti.

Si ergo in causis a Deo traditis idem est fraudis periculum, quare putemus, id nos in aliis minus grauibz effugere posse?

Atque repudiorum potestatem liberalissime faciendam esse propter reipublicae et singulorum hominum vtilitatem contendo. Omni studio enim cauendum esse videtur, vt disiungantur potius, quam arctius coniungantur, ii, quorum animi alienati suspiciones alunt iurgiorum, rixarum et odiorum causas certissimas. Finge! si placet, duos amicissimos sibi homines ad instituendam in externas prouincias aliquot annorum peregrinationem, societatem iniisse, eosdemque diuini auxilii expetendi et confirmandi animi causa sacra synaxi vna vsos esse; praeterea confessionarium benedictionis solemniformula pronuntiata, vtramque praesentem diuino praesidio, imprimis inter itineris pericula, commendasse, atque pro itu et reditu vtriusque et constante concordia, qua maxime in itinere opus est, vota nuncupasse. Triduo ante abitum constitutum inter eosdem, vt assolet fieri, de re nullius momenti et vili, ita graues simultates atque discordias ortas esse, vt, quo coniunctiores ante fuissent, eo magis animi eorum viderentur irae caloribus aestuare. Operam in pace inter hos futuri itineris socios restituenda familiares vtriusque consumsisse frustra, quod neuter vellet rixae auctor videri, vterque questus est, sibi ab altero illatam esse iniuriam, vnus praeterea furere, alter minari coepit; quid multis? omnis spes istorum hominum reconciliandorum euauit: Quid quaeso, si te in consilium adhibuissent, voluisses fieri, auctore vna suscipiendi itineris fuisses? Nonne pronunciaffes? melius societatem solui, quam seruari inter socios ita infensos, sed num, etiamsi vtraque pars velit, propter diuina fir-

firmamenta, quae huic societati accesserant, sociis ab ea sponte recedere non liceat? Quis vero facile dubitet, licere: et nolit sociis auctor dissoluendae societatis fieri, etiamsi vnum videat societatis legem, alterius forsitan vexandi causa, seruare velle. Nam in tanta animorum contentione, vix iusta spes rediturae inter eos benevolentiae foueri potest. At, quis eiusmodi societatis in paucos annos inita, a qua recedendi tibi quouis die libertas dari potest, si modo praestiteris, quod alterius interest, ante tempus, de quo conuenerat, ruptam esse; quis, inquam, eiusmodi societatis incommoda, cum iis, quae e matrimonii perpetua infelicitate nascantur, audeat comparare? Omnium profecto carcerum inficetam solitudinem; omnium equulei et suppliciorum diros cruciatus; omnium morborum acerbissimos dolores; omnes belli, incendiorum, tempestatum, calamitates; matrimonii infelicitas longissime superat. Istorum malorum sensus molestissimus est: fateor; sed mala sunt sua natura; ergo, molesta futura, cui acciderint. At, quam misere decipiuntur matrimonium infelix inuentum: Sperauerant eodem sibi magnam partem felicitatis humanae contingere, vana spe misere deiecti, fero sentiunt, in quantum turbinem incommodorum inciderint; quis vero, consummato matrimonio; nisi legitima diuortii adfit causa, etiamsi, miseratione ductus, vel maxime velit, opem ferat?

Quare etiam legitima sponsalia vtriusque partis voluntatis solui satius est, quam sponsum sponsamque, animis vehementer alienatis, ad matrimonia consummanda cogi; quo facto saepe eosdem coegeris, vitae tranquillitatem abdicare, rixis, iurgiis et pugnis asueseri; patrimonium et bona disperdere; nominis honestatem in periculum inducere, et proliis spem deponere. Et, quae vita est! quam miseri viuunt, venatoria

C

pro-

profecto, vt misellus ille Plautinus Olympio a seruo derisus.
(In Casina II, 5. 11.)

Quasi venator tu quidem es!

Dies atque noctes, cum cane aetatem exigit.


Quoniam ergo nihil intolerabilius est imperioso et inhumano marito; nihil molestius rixosae mulierculae garrulitate; nihil turpius ebriosis hominis et immundae mulieris foeda consuetudine; condonandum est iis, qui, sponsi vel sponsae malis moribus curatius perspectis, a sponsaliorum fide recedere, et rumpi vincula velint, quibus se imprudenter adstrinxerant.

Repudium facile concedi posse, cum vtraque pars vincula male copulata solui optet, manifestum est; sed plerumque solet fieri, vt vel sponsus solus, vel sponsa sola, pinguiore forte conditione oblata, priorum sponsaliorum fidem fallere velit; Quodsi accidat, iudex caute officio suo debet desungi. Leges quidem nostrae, ortis inter desponsatos dissidiis, et instituta sponsaliorum seruandorum causa actione, iudicem strenue partes hortari, et iis fidei in re tam graui et ardua, vt est matrimonium, seruandae honestatem commendare iubent; Superattendentibus idem quoque officium leges nostrae imponunt, e quarum auctoritate isti debent studiosam operam reconciliandis sponsi sponsaeque animis dare. At, haec de matrimonio commendando praecepta ii nimis studiose ob seruare videntur, qui vt fatis *pro matrimonio*, vt dicitur, *egisse* videantur, velut obtorto collo partes solent ad nuptiale foedus protrudere; sed ex nostra sententia in ista matrimonii commendatione in *Termino amicabile compositionis* suscipienda, modus habendus, et res omnis iudicis arbitrio, id est,

con-

conscientiae permittenda est. Nam si adsunt signa multa et probabilia infelicis futuri matrimonii, si sentiat, facilius columbam nubere posse accipitri, quam Caium cum Caia post initum matrimonium tranquille et beate viuere quomodo matrimonii perficiendi et belli domestici per totam vitam perennaturi auctor fieri simul possit iudex? Quo facto, homines in praecipitio stantes crudeliter potius deiicere, quam comiter monstrata via et porrecta dextra iuuasse, descendere volentes, viderere. E quibus apparet, propter fauorem matrimonii et commodum reipublicae semel desponsatis graui et seria oratione persuadendum esse, istam leuitatem sponsalia quidem fallentium esse indignam viro probo et honesto, mulieri quoque non leuem maculam adspargere; melius itaque perfici nuptiale foedus inito vero matrimonio, quam propter animi inconstantiam negligi. Sed si videat, se matrimonii et pacis commendatione nihil proficere, et infaustum coniugium metuendum esse, potest etiam alias pacis conditiones, dissolutis sponsalibus, quaerere, adigendo leuem et inconstantem partem, ad praestandum id, quod alterius constantioris interest, sponsalia exitu caruisse. Praeterea cauendum est iudici; ne in semel proposito consilio nimis pertinaciter haereat. Satis fecerit officio suo iudex, si commoda et incommoda futuri matrimonii partibus ante oculos posuerit; sed nec debet nimius esse in conciliandis nuptiis forte infelicibus, nec nimius, in laxandis sponsalibus legitimis, quae soluenda non sunt, sine partis vtriusque consensu. Nam qui putent, se futura posse diuinando praeuidere et e signis saepe fallacibus sortem praedicere, quae hos, vel illos coniuges, mansura sit, ii animi arrogantiam magis, quam prouidentiam, iudicis persona dignam, produnt; Nam si vnus velit sponsalia dissolui, alter nolit, nolenti auxilium potius ferendum est, quod leges permittunt. Ad istam vero leuitatem, qua imprimis plebeiū homi-

mines solent sponsalia inire, ex merito cöercendam, multum profuerit, si ministri ecclesiae iuberentur orationibus suis, reuerentiam erga matrimonium, a Deo institutum, saepius commendare auditoribus, et eos hortari, vt simul, leuiter sponsalibus fidem nunquam adstringant suam, difficilius, semel adstrictam, laxent. Super ea vero quaestione, an sponsalia legitima, si, nondum peracta hierologia, sponsa e sponso pepererit, solui queant; ita sentio, vt ea non facile velim dissolui, sed si solui debeant, quod ea a naturali et vero matrimonio non differant, fonticas causas, vt in omni diuortio, requiram; quas vero ad hunc numerum referam, altera exercitatio prope diem docebit.



VD 18


cb.

ULB Halle
004 997 506

3







C. 28. num. 15.
1770/47.

PRO AMPLIANDO
IN DIVORTIIS DECERNENDIS
IVDICVM ARBITRIO

EXERCITATIONEM PRIMAM

PRAESIDE

FRIDERICO PLATNERO

ECCLESIAE CATHEDR. NVMBVURGENSIS CAPITVLARI
PANDECTAR. PROF. ORDIN

P. H. H.

A. D. III AVGVSTI A. C. MDCCCLXX

COLLOQVIO PVBLICO DEFENDET

IOH. CAROLVS GOTTHOLD KAVPISCH

COLDITIENSIS

L I P S I A E

EX OFFICINA LOEPERIA

